

«rentur a mortali (nota bene), etiamsi ludent sine scandalo, ut ex communi doctorum testatur Lezana, verbo *Ludus*, n. 4. «Erit autem ludus frequens, et ludens dicitur consuetudinarius, si semel in hebdomada fiat, juxta Bordonum. Resol. 33, n. 3. » Claudit demum hoc punctum Giribaldus gravibus verbis, quibus invehitur in religiosos saepe ludentes ludis vetitis alear., et taxillor., causa lucri. Rossignolus item, sive hoc faciant, nescientibus, ut communiter contingit, sive etiam videntibus, et non contradicentibus superioribus, (verba ipsius sunt) abominabile hoc vitium est, ut religiosum statum, et perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Heu! quam gravibus poenis ad supremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religiosi ludentes, sed superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quae cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversionem! Ex dictis patet, communem sententiam esse, quod etiamsi non obstant decreta, neque sit scandali periculum, neque ingens pecunia ludo exponatur; tamen in religioso consuetudo ludendi nequit a mortali excusari, cum nimis adversetur statui religioso. » Ex his inferri debet: primo, ex communi, superiores permittentes introductionem ludi chartarum in suos conventus, graviter peccare, sicuti et introductum exstirpare non procurantes. Secundo: dictis ludis religiosos utentes, saltem aliqua frequentia, certo peccare lethalliter. Dixi, saltem aliqua frequentia, ut communem opinionem indicarem: caeterum adopto opinionem semper damnantem ut mortales in religiosis hujusmodi ludos; nisi forte parvitas materiae, nempe brevissimi temporis, et magnae raritatis excuset; eo quia et jura ecclesiastica nimis urgeant; et hujusmodi ludi nimis regulari statui adversentur; et regulares obligationes, praecipue studium perfectionis exterminant. Tertio: inferendum, graviter peccare superiores, qui, ubi toleratur abusus peculii, concedunt religiosi ludentibus aliis ludis honestis, et non vetitis, puta tesseredibus, scacchis, pila, etc., ut pecuniam exponant, quamvis intra claustra, quia id dissonat paupertatis voto, et excedit suam auctoritatem, quae nihil potest circa ea quae sunt voti laesiva. Eo vel magis, quod est moraliter impossibile, impedire transitum paulatim de modica summa ad majorem, et de majori ad grandem, cum voti jactura semper majori. Similiter peccare ipsos religiosos, tam sine licentia pecuniam exponentes, quam cum licentia; quae cum sit injusta, et sine honesta causa, quandoquidem discordat a voto, et a regularitate, nequit licitum reddere actum. Si opponas: igitur nil pretio aestimabile poterit cum licentia exponi, ad acuendam honestam delectationem ludentium? Respondeo, posse aliquid licite exponi de licentia, puta imagines, cereolos, etc., pecuniam vere non; quia est esca nimis alliciens avaritiae famem, nimisque adversans voto; usus enim aliarum rerum, imaginum, cereolorum, etc.

conceditur religiosis quibuslibet; neu iquam usus pecuniae, ob datam rationem. » Et tract. 10 *De septimo Decalog. praeepto*, cap. 11, § 2, n. 4: « Ludentes ludo alioquin permissio, dominium habere debent eorum quae ludo exponunt, ut patet. Hinc juxta communem, pupilli absque tutoris; et minores absque curatoris; et religiosi absque superioris licentia, nil exponere possunt, et qui lucratur, tenetur lucrata restituere respective tutoribus, curatoribus, religioni: eo quod lucratur ab his, qui rem suam alienare non possunt, » ait S. Thomas, 2-2, q. 32, a. 7 ad 2.

(6. Huc quoque pertinent, atque ut a regularibus et monialium confessariis etiam atque etiam considerentur, de promissimus, quae scribit P. Ubaldus Giraldi, *Expositionis juris Pontificii*, part. 1, sect. 538, pag. 369, seq. Sunt autem hujusmodi: « Hic serio monitos velim quoscumque paupertatis voto, tam simplici, quam solemni, et huic potissimum obstrictos, ne cum periculo damnationis aeternae se allucinenter, putantes sibi licitum esse citra sacrilegam dicti voti fractionem, pecuniam, cujus usum habent, cuicumque ludo exponere, et praesertim vulgo *del lotto*, ea falsa innixi ratione, quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII, die 12 Augusti 1727, etiam sub poena excommunicationis, Papae reservatæ, permissum deinde fuerit a Clemente XII, in ejus *Motu proprio*, 9 Decembris 1731, incipien. *Tra le molte angustie*, impresso in typographia Camerali: in hoc enim expresse excluduntur quicumque paupertatis voto obstricti sint; ibi: « Percio ci contentiamo, che nel nuovo « Lotto, da noi, come sopra permesso (Romae tamen; et tota Ecclesiastica ditione « duntaxat) possa qualunque persona dell' « uno, e l'altro, sesso, non comprare però « quelle, che venissero impedito dal vincolo « de' voti di povertà. » Quae ultima verba repetita etiam leguntur in edictis de mandato ejusdem Pontificis, publicatis ab eminentissimo Urbis vicario, et a generali thesaurario, sub die 12 dictorum mensis, et anni, in eadem typographia impressis. Nec existiment se tutos in foro conscientiae, si id faciant cum licentia suorum superiorum, si forte hodie, et cum hac faciant; quandoquidem omnia jura proclamant, his omnino interdictum esse, concedere propriis subditis facultatem quidquam erogandi in usus profanos, et contra ipsorum statum, sed in necessariis duntaxat, licitos et honestos. Hinc ita, hoc certo et incontrovertibili firmato principio, inter alios DD. communiter infert Bartholomæus a S. Fausto congreg. Fulien-sis, ordinis Cisterciensis, in *Thesaurio Religiosorum*, lib. VIII, *De voto paupertatis*, qu. 94: « Prælati non potest facere facultatem hujusmodi religioso, v. g. ut expendat « pecuniam in ludos, luxus et similia: et « quamvis prælati prædictam licentiam concedat, non ideo subditus excusatur a mortali, et a nota proprietatis, si in materia

« gravi ea utatur. » Et ratio est quia hoc non est dispensare, vel rectam licentiam dare, sed dissipare, quia dispensatio est discreta pensatio, necessitate, vel utilitate suadente; at in pecunia ad libitum religiosi expendenda, nunquam est salutifera dispensatio: Neque itidem sibi suadeant, tam superiores in concedendo licentia, quam subditi in ea utendo, se mortalis peccati reatui non esse obnoxios, si exponant præfate ludo, sicut et caeteris, parvam aliquam summam, ratione parvitas materiae; cum enim non semel, sed pluries intra annum, et hic in Urbe decem et octo vicibus hanc prætentam parvam summam exponere soleant, et sic continuando quolibet anno, non video quomodo dici possit parvitas materiae; eo pari modo, quo dici nequit, eum excusari a peccato mortali ratione parvitas materiae, a quo per pauca moraliter continuata furta ablata est magna summa totalis, juxta propositionem xxxviii, in ordine, inter alias proscriptas ab Innocentio XI, 2 Martii 1679. Neque tandem ad excusandas excusationes in peccatis, subsidium sibi ita tuto aucupari se posse credant a vivæ vocis oraculo, quod prolatum fuisse dicitur a laudato Clemente post publicationem relati *Motu proprio*, licere scilicet paupertatis vinculo obstrictis parvam aliquam pecuniam summam prædicto ludo exponere, non obstante prohibitione, in eodem Motu proprio expressa, cum de eo nullo modo constet. Et quamvis ex atestatione aliquorum fide dignorum, ut dicitur, constaret, præsumi nequit, tantum Pontificem ita zelotypum ad sartam tectam fidelium pietatem servandam, voluisse dicto vinculo obstrictis aperire viam proprietatis, ipsis indulgendo, non ut raro, sed ut toties quoties quolibet anno exponere possent prædicto ludo parvam aliquam summam, quae integraret, ut dixi, magnam summam totalem contra votum paupertatis. Unde de hoc asserto vivæ vocis oraculo dicendum est, verum fuisse commentum, ab aliquibus excogitatum ad proprie indulgendum cupiditati, palliandumque proprietatis vitium. Si qui vero citra lethalem culpam se tuto id, non semel,

LUNATICUS, ET FURIOSUS.

Vid. verb. IRREGULARITAS, art. 2, n. 12.

LUXURIA.

SUMMARIUM.

1. Luxuria quid sit. — 2. Luxuria: species sunt septem: scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, et peccatum contra naturam, quod subdividitur in mollitiam, inordinatum concubitus, sodomiam, et bestialitatem; quibus accedit impudicitia. — 3. Fornicatio quid sit. — 4. Fornicatio est peccatum mortale. — 5. Fornicatio est intrinsece mala. — 6. Fornicatio alia dicitur vaga more peccandi, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo; alia determinata cum una certa et determinata persona, et dicitur concubitus. — 7. Concubitus quid sit. — 8. Fornicatio cum persona infideli an sit simplex fornicatio, vel addat no-

sed pluries in anno, facere posse credant, aut vi hujus præsumpti oraculi, aut alterius tituli, puta ad subveniendum, vel suae, vel loci pii, vel alienae paupertati, ipsi viderint, cum non meum sit de iis iudicium ferre. Audias tamen quid de iisdem sentiat S. Antoninus, part. xi, tit. 1, cap. 23, § 3. « Sed et religiosi, si quae habent ad « usum, vel per administrationem, illa tamen « donare, vel alienare non possunt licite, ut « in LUDIS. » Est hic notandum, quod quamvis Clemens derogaverit constitutioni Benedicti quoad excommunicationem inflictam iis qui prædicto ludo vacarent, hanc tamen firmam remanere declaravit contra illos, qui in ludendo uterentur pravis artibus, et detestabilibus, ac damnatis superstitionibus, ut dicam infra ad titulum *De sortilegiis*, ad cap. 2, *In tabulis*, nempe pag. 687, ubi hæc ex motu proprio Clementis XII, refert: « Quanto poi alla pena « della scomunica, vogliamo parimente, « che resti ferma solamente contro quelli, « che tratti da una folle speranza di vincere « per mezzi riprovati, ed illeciti, useranno « nel giocare arti prave, o si serviranno « di detestabili, e dannate superstizioni; « quale deve credersi essere stata, ancora « l' unica, e principale mira del prenomi- « nato nostro Predecessore nel l' imporla. » De hoc porro ludo qui plura cupit, legat Hieronymi Ercoli J. C. Romani Dissertationem *Del giuoco del lotto, che sia degno di essere da per tutto proibito*. Romae mcccxxviii. Confer Andrea Hieronymi Andreucci opusculum inscriptum: *L' osservanza divinaria de sogni fatta scorgere inutile, colpevole, e pericolosa: in Roma mcccxlii*. Inter alios praecipue legendus Anonymi liber, cui titulus *Trattato de Giochi permessi, o proibiti ai Christiani*, Roma, 1768; per il Barbiellini alla *Minerva*. Meminerint quoque omnes decreto 15 Julii 1732, proscriptum fuisse libellum, qui inscribitur: *Liste dell' Arti di tutte l' Estrazioni ridotte per ordine di alfabeto*; ut constat ex Indice librorum prohibitorum Benedicti XIV Pont. Max. auctoritate publicato pag. 160*.

vam malitiam specie distinctam, et in confessione necessario aperiendam? — 9. Fornicatio cum sponsa, vel sponso alterius de futuro, an addat novam malitiam injustitiae distinctam et in confessione necessario aperiendam? — 10. Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit, si dicat in confessione, *Commissi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam. — 11. Adulterium quid sit? et omnia, quae ipsum concernunt, remissive. — 12. Incestus quid sit? — 13. Non solum concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula, etc., participant rationem incestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines. — 14. Ad hoc ut incestus sit casus reservatus, nisi aliud ab episcopo exprimat, requiruntur tres conditiones, quae assignantur. — 15.

Incestus est peccatum mortale gravissimum duplici malitia, scilicet contra castitatem, et contra virtutem pietatis personis conjunctis debite. — 16. An incestus inter diversos consanguinitatis vel affinitatis gradus commissi distinguantur specie? — 17. Incestus juxta gradus suos sunt necessario in confessione exprimendi. — 18. Incestuosus volens post copulam incestuosam contrahere in gradu prohibito, debet pro dispensatione recurrere ad sacr. Pœnitentiariam, si tam culpa, quam gradus sint occulti. — 19. Si tamen gradus est publicus, copula vero est occulta, debet prius petere a Dataria dispensationem gradus, et postea a sacr. Pœnitentiaria dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta. — 20. Incestuosus an, et quando possit, et debeat, vel non, petere, et reddere, vel offerre debitum? *remissive*. — 21. Stuprum quid sit? — 22. Stuprum non est copula in quam consentit virgo. — 23. Quando non est copula in quam consentit virgo, ut illam deceptorum dicatur stuprum stricte, et proprie sumptum? — 24. Concubitus etiam violentus corruptæ non est stuprum. — 25. Stuprum est gravissimum et speciale peccatum ob gravissimam injuriam, quam stuprator inferi puellæ virginis et ejus parentibus. — 26. Stuprator tenetur in foro conscientie aut virginem stupratam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare. — 27. Si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, stuprator ad nullam obligatur restitutionem, seu dotationem ante iudicis sententiam. — 28. Raptus quid sit? et omnia quæ ipsum et raptorem concernunt: *Remissive*. — 29. Sacrilegium carnale, et personale quid sit? — 30. Sacrilegium est peccatum gravissimum, et speciale contra virtutem religionis. — 31. Qui simul est sacerdos et religiosus non committit duplex sacrilegium violando castitatem. — 32. Si ambæ personæ, quæ peccant, sunt sacræ, est duplex sacrilegium in confessione exprimendum. — 33. Peccatum contra naturam, quid sit? — 34. Peccatum contra naturam subdividitur in mollium, inordinatum concubitus, sodomiam, et bestialitatem. — 35. Mollium, seu pollutio quid sit? — 36. Mollium, seu pollutio ab apostolo vocatur alio nomine *immunditia*, et est peccatum mortale contra naturam. — 37. Mollium est intrinsece mala, adeo ut etiam seclusa prohibitione divina, adhuc foret mala; et sic nunquam, neque pretextu tuendæ sanitatis, vel vitandæ aliæ certæ mortis, licitum est intendere, et directe procurare mollium, seu pollutionem. — 38. Desiderare efficaciter, ut eveniat naturaliter pollutio, vel de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem, est omnino illicitum. — 39. Non est tamen illicitum desiderare inefficaciter, ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat, vel de ea naturaliter, et involuntarie secuta gaudere ob aliquem finem bonum. — 40. Pollutio in somno involuntarie secuta, non est peccatum. — 41. Potest tamen pollutio in somno esse peccatum, si oriatur ex causa præterita illicita, aut oïosa, proxime ordinata ad venerem. — 42. Si autem pollutio oriatur ex causa tantum remota, et per accidens ad ipsam concurrans, non est peccatum mortale. — 43. Pollutionem omnino involuntariam, sponte sua naturaliter eventientem, aut in somno jam cœptam non impediens, nec reprimens, non peccat. — 44. Factorum aliquam actionem necessariam, seu licitam, et honestam, et prævidens inde naturaliter secuturam pollutionem, nullo tamen modo a se volitam et intentam, non tenetur abstinere a tali actione, dummodo absit periculum consensus in delectationem. — 45. Polluens se cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum persona soluta, conjugata, voto castitatis obstricta, consanguinea, vel affine, debet in confessione circumstantiam personæ exprimere. — 46. Inordinatus concubitus quid sit? — 47. Conjuges gravissime peccant contra naturam, si voluntarie concubant modo tali, quo certo impediatur generatio.

— 48. Sic mortaliter peccant si se retrahant in actu seminationis, ne proles concipiatur. — 49. Conjuges, qui in copula vas naturale servant, variant situm, et modum coeundi ordinariū, si id faciunt sine seminis perdendi periculo, et ex aliqua justa causa tunc exsulant a peccato; si vero id faciunt sine justa causa, ordinariè peccant, saltem venialiter. Et si id faciunt cum seminis perdendi periculo, peccant graviter. — 50. Sodomia unde dicta? — 51. Sodomia quid sit? — 52. Sodomia est duplex, una perfecta, altera imperfecta, et quæ sit utraque? — 53. Sodomia perfecta differt specie ab imperfecta, et ideo est in confessione specificanda. — 54. Sodomia perfecta committitur inter masculos, sive coeant inter se in vase præpostero, sive in ore; et inter feminas committitur, sive utantur vase anteriori, sive posteriori. — 55. Ut sodomia sit casus reservatus, requiritur, quod actus sit completus cum effusione seminis intra vas. — 56. Sodomia, sive perfecta, sive imperfecta, ultra primam malitiam, habet aliam specie distinctam in confessione explicandam juxta statum personarum copularum. — 57. Probabilis in confessione debet exprimi, an quis fuerit agens, vel patiens? — 58. Complexus duorum masculorum se carnaliter per modum copulæ commiscendum cum affectu ad eundem masculinum sexum; sicut et complexus duarum feminarum similiter se carnaliter commiscendum, cum affectu ad eundem femineum sexum cum effusione seminis, licet ipsum semen in nullo vase emittatur, sed in membris effluat, reducit ad sodomiam, estque hæc circumstantia in confessione explicanda. — 59. Non reduceretur tamen ad peccatum sodomie, si mas se pollueret inter coxendices, brachia, seu alias partes femineæ extra quodlibet vas. — 60. Rei hujus nefandi et horrendi criminis sodomie puniuntur tam jure civili, tum canonico gravissimis pœnis, quæ assignantur. — 61. Dietas pœnas non incurrit, qui mulierem cognoscit Sodomitice. — 62. Nec dietæ pœnæ aliquem ligant ante iudicis sententiam criminis declaratoriam. — 63. Hic in detestationem tanti criminis est sciendum, quod sodomie omnes mortui fuerunt in illa nocte, qua Jesus Christus natus est. — 64. Bestialitas quid sit. — 65. In confitendo peccato bestialitatis, non est opus dicere cum qua specie animalis sit commissum. — 66. Explicari tamen debet, an sit facta cum bestia mare, vel femella, et in vase naturali, aut in præpostero? — 67. Ad speciem bestialitatis reducit coitus viri, aut femine cum demone succubo, vel incubo. — 68. In coitu viri, aut mulieris cum demone, triplex ordinariè concurrat peccatum specie distinctum in confessione exprimendum, quod assignatur. — 69. Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum, et punitur gravissimis pœnis, quæ assignantur. — 70. Mollium, sodomia, et bestialitas habent malitias specie distinctas. — 71. Impudicitia quid sit. — 72. Oscula, tactus, et amplexus impudici ob delectationem sensualem venerem inter personas solutas, sunt peccata mortalia. — 73. Oscula, tactus et amplexus, si fiant secundum morem patriæ, causa urbanitatis, amicitie, fovendæ pacis, benevolentie, debiti obsequii, et hujusmodi, per se loquendo, excusantur a peccato, et licent. — 74. Tactus, et oscula facta in partibus impudicis, et verendis a personis solutis sunt peccata mortalia. — 75. Imo tactus, et oscula impudica verendorum sunt peccata mortalia etiam in illis, qui propter defectum ætatis, aut alia de causa seminare non possunt. — 76. Osculari pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, item eos complecti, tangere captando delectationem sensibilem ex mollium carnis teneræ, per se loquendo, secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. — 77. Ancillæ teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, aspicientes, etsi motus sensualis exsurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi,

aut non peccant, si ita officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter et ex curiositate faciant: si tamen id facerent cum mora, ordinariè peccarent mortaliter. — 78. Aspiceret animalia coeuntia ex curiositate, vel levitate tantum, seclusa voluntaria concupiscentia libidinosa, est peccatum tantum veniale. — 79. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, et hujusmodi, mollior tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contractare, ex sola curiositate, vel levitate sine ulla impura delectatione, ordinariè est tantum peccatum veniale. — 80. Esset tamen mortale ita bruti alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret curiositate illud videndi, et ob delectationem sensibilem. — 81. Personæ ejusdem sexus, simul nude existentes in balneo, in habitaculo, seu alibi, et se invicem ex curiositate aspicientes, seu ex levitate aut joco tangentur etiam in partibus verendis cum motu sensualitatis, secluso libidinoso consensu, et complacentia turpi, non peccant graviter. — 82. Peccant autem ordinariè graviter sic aspicientes, vel tangentur personas diversi sexus, aut concubitus humanos, etiam secluso affectu venereo. — 83. Seipsam vero aspiceret, seu tangere ex curiositate, vel levitate, seclusa intentione, et complacentia turpi, ordinariè est solum veniale peccatum. — 84. Persona soluta permittens se tangi, osculari, et hujusmodi ab alia, quando peccet graviter vel non? *remissive*. — 85. Obscena legere, inhonesta canere, turpia loqui, impudicos gestus facere, turpes comœdias spectare, litteras amatorias et lascivas scribere, et recipere, talia audire, et similia facere, si hæc fiant cum intentione, et complacentia turpi, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt peccata mortalia; si autem fiant ex curiositate, vel levitate tantum, seu ex vano solatio sine dicto periculo, sunt

(1. Luxuria est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Est in re communis.

(2. Luxuriæ species sunt septem; scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium et peccatum contra naturam; quorum ultimum subdividitur in mollium, inordinatum concubitus, sodomiam, et bestialitatem, quibus accedit impudicitia. Ita doctores communiter, paucis exceptis qui omittunt sacrilegium scilicet carnale et personale.

(3. Fornicatio est naturalis concubitus illicitus soluti cum soluta. Est in re communis. (4. Fornicatio est peccatum mortale; est de fide et oppositum est hæresis damnata in Clementina incipien. *Ad nostrum 3, De hæreticis*. Apostolus enim ad *Ephesios v*, expresse dicit: *Omnis fornicator, aut immundus. . . non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei*; et ad *Galatas v*, dicit: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, et impudicitia, luxuria, etc.*, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur; et in *Apocal.*, cap. *xxi*, sic habetur: *Fornicatoribus. . . pars erit in stagno ardenti, igne, et sulphure, quod est mors secunda*.

(5. Fornicatio est intrinsece mala, de jure naturæ graviter prohibita. Natura enim abhorret a fornicario concubitu, tanquam fini generationis, bono prolis, imo et bono communi opposito; Unde merito Innocentius XI, die 2 Martii 1679, inter alias damnavit sequentem propositionem 48, in ordine: « Tam clarum videtur, fornicationem

solum peccata venialia. — 86. Libros, cantiones, seu tractatus obscenos componentes, vel divulgantes, comœdias turpes exhibentes, seu representantes, picturas ad libidinem incitantes facientes, seu publico exponentes et hujusmodi peccant mortaliter. — 87. Choreæ de se non sunt male, nec actus libidinis, sed communis lætitiæ; dummodo tamen fiant locis, et temporibus non prohibitis, et modis licitis. — 88. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quandam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. — 89. Quando autem conjuges graviter peccant, vel non, circa delectationem morosam de actu conjugii? *remissive*. — 90. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi et hujusmodi, quæ fiunt inter sponso cum delectatione sensibili venerea morosa, et directe voluntaria, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia; et si pudice fiant ex recto sine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. — 91. Quando autem sponsi graviter peccant, vel non, circa delectationem morosam de copula futura, et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc.? *remissive*. — 92. Viduæ quando peccant, vel non circa delectationem morosam de copula præterita? *remissive*. — 93. Quando femine graviter peccant, vel non, in ornamentis, et similibus provocantibus ad lasciviam? *remissive*. — 94. Quando sint peccata gravia cogitationes impuræ, et delectationes morosæ, quæ ex hactenus recensitis oriri solent? *remissive*. — 95. In delectatione venerea deliberata, seu in re, vel materia luxuriæ in se directe et deliberate volente, non datur parvitas materiæ excusans a mortali.

secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.»

(6. Fornicatio alia dicitur vaga more peccatum, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo. Alia determinata cum una certa et determinata persona, et dicitur concubitus. (7. Qui concubitus est fornicatio continuata cum eadem certa et determinata persona, ita ut supra fornicationem addat statum, et perseverantiam, sive interim quis, vel quæ personam fornicariam domi habeat, sive ex consuetudine illam conveniat; et hic concubitus est tam grave et periculosum peccatum, ut concubinarium absolvi non possit, nisi certe promittat concubinam quamprimum dimittere, et si secundo reversa concubina sine justa causa nondum ejecta, est ei absolutio deneganda, quia concubinarium non solum peccat fornicando, sed etiam in continuo saltem virtuali proposito peccandi perseverat, quando concubinam voluntarie detinet; Hinc Alexander VII die 28 Martii 1666 justissime damnavit sequentem propositionem 41 in ordine: « Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo *regalo*, dum deficiente illa nimis ægre ageret, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur.»

(8. An fornicatio cum persona infideli v. gr. Judæa, vel Turcissa sit simplex fornicatio, vel addat novam malitiam specie distinctam, et in confessione necessario ape-

riendam? Affirmant Navarrus, Lugo, et cum nonnullis aliis Sanchez, libr. vii *De matrimonio*, disp. 3, volentes, quod sicuti Ecclesia speciali ratione prohibet matrimonium fidelis cum infideli ob motivum religionis, cum talia conjugia sint damnosa conjugii fideli, et bonæ educationi prolis: ita propter idem motivum censeatur speciali ratione prohibitus fornicarius concubitus fidelis cum infideli. Negant e contra Azorius, par. iii, lib. iii, c. 29. Diana, Tamburinus, Filiucius, Mastrius; Reiffenstuel, *Theol. moral. tract. De præceptis Decalogi*, distinct. 4, qu. 2, n. 15; Felix Potestas, tom. I, part. 1, n. 2442, et alii, quia nullo jure probatur malitiam illam esse specie distinctam, quamvis revera sit gravior, et ideo reservari soleat, et puniri; nec id probat assumpta paritas de prohibitione matrimonii, quia in matrimonio habetur longe major conjunctio, et inde majus periculum subversionis conjugis et prolis, quam in simplici accessu fornicario, ut de se patet, adeoque, etc. * Primæ ex his opinionibus magis adherere videtur Antoine, in tract. *De peccatis*, art. 5, quæst. 2, § *Item fornicatio fidelis*. Et sane copula fidelis cum infideli in religionis dedecus vergit. *

(9. An fornicatio cum sponsa, vel sponso alterius de futuro addat novam malitiam injustitiæ distinctam, et in confessione necessario aperiendam? Negant aliqui cum Mastrius, *Theolog. moral.*, disput. 11, n. 119; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 14. At probabilius affirmant alii cum Henno, tom. I, disput. 6., quæst. 1, conclus. 1; Busemb., lib. iii, par. 1, cap. 2, dub. 2, n. 1, ubi citat Sanchez, Rodríguez, Filiucium, quia sponsus et sponsa post sponsalia non sunt amplius personæ plene solutæ, et liberæ: quamvis enim in mutua corpora non habeant jus in re, habent tamen jus ad rem, et ideo alteruter concedens alteri usum sui corporis, specialem injuriam facit comparti, quia, ultra fornicationem, committit aliquam injuriam reducibilem ad adulterium, tanquam imperfectum ad perfectum sui generis; unde est circumstantia in confessione necessario exprimenda.

(10. Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit si dicat in confessione, *Commisi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam, quia, ipsa reticita, non explicat peccatum quod fecit; cum etiam soli tactus impudici, seu oscula ob delectationem carnalem habita cum soluta, sint graviora peccata contra castitatem; unde merito Alexander VII, die 24 Septembris 1663 inter alias damnavit sequentem propositionem 23 in ordine: « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam »: Et die 18 Martii sequentis anni 1666, idem Summus Pontifex damnavit etiam propositionem sequentem 40 in ordine: « Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem,

quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. »

(11. Adulterium quid sit, et omnia, quæ ipsum concernunt. *Vid. verb. ADULTERIUM*, ubi late de omnibus per varios articulos.

(12. Incestus est peccatum luxuriæ cum persona consanguinitate aut affinitate conjuncta intra gradus a jure prohibitos commissum. Est in re communis. (13. Dicitur autem peccatum luxuriæ ad denotandum, quod non solus concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula, etc., participant rationem incestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines, eo quod inducant malitiam actus principalis, ad quem ordinantur. (14. Ab hoc autem ut incestus sit casus reservatus, concurrere debent tres conditiones, nisi aliud ab episcopo exprimatur in reservatione; *prima*, quod copula sit perfecta, id est cum seminatione intra vas; *secunda*, quod personæ sint consanguinitate aut affinitate conjunctæ intra gradus in reservatione expressos; *tertia*, quod intercedat malitia moralis.

(15. Incestus est peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, scilicet contra castitatem, et contra virtutem pietatis personis conjunctis debitæ; unde *Levitici* ii mors diversis gradibus incestuosorum statuitur, qui tantam turpitudinem, tantum nefas, tantum scelus pataverunt; et Apostolus *I ad Cor.*, cap. v, incestuosum Corinthium, in detestationem tanti sæleris, tradidit Satanae, ut spiritus salvaretur; et ratio est, quia actus carnales, utpote fœdi et turpes, graviter adversantur honori, reverentiæ, et pietati, quam debent sibi consanguinei et affines; unde ex instinctu naturali apud omnes gentes damnatur concubitus cum consanguineis in linea ascendente, vel descendente; imo etiam in linea collateralis intra certos gradus; quinimo hanc reverentiam nobis insinuant quædam irrationabilia animalia, quæ ex ingenito reverentiæ instinctu nolunt parentibus misceri; unde Aristoteles lib. ix *Historiæ animalium*, cap. 47, refert, a camelo, qui ex fraude camelarii fuerat congressus cum matre, interfectum esse deceptorem; equum vero similiter deceptum, se ex alto præcipitasse. Sic Henno, *l. c.*, q. 3, conc. 2.

(16. An incestus inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus commissi distinguantur specie? Affirmant aliqui; et negant alii; unde cum utraque opinio sit probabilis, et incestus eo gravius peccatum sit, quo gradus est propinquior, talis gradus est in confessione exprimendus, saltem pro majori securitate, ut fatentur passim doctores, etiam sententiæ tenentis ipsos incestus non distinguere specie. (17. Imo varii ex ipsis dicunt, quod non obstante incestuum identitate specifica, necessario juxta gradus suos sunt in confessione exprimendi, quia licet speciem non mutant, malitiam notabiliter aggravant, et ideo obligationi suæ non satisfacit, qui dicit simpliciter se commisisse incestum, sed debet exprimere an cum matre, vel noverca, an cum filia, vel cum

sorore, vel cum matertera, an cum cognata germana, vel alia, et sic de aliis; sic inter alios expresse Henno, *loc. cit.*, conclus. 3. Item an cum affine, vel cum cognato spirituali, vel legali; item an cum filia confessionis, ut probabiliter tenent Sanch. Coninch, Fagundez, et cæteri citati, et secuti a Busemb., lib. iii, par. 1, cap. 2, dub. 2, n. 5. La Croix, *ibid.*, et lib. vi, p. ii, a n. 1073, contra Sa, Dianam, et alios.

(18. Incestuosus volens post copulam incestuosam contrahere in gradu prohibito, debet pro dispensatione recurrere ad sacram Pœnitentiariam, si tam copula, quam gradus sint occulti (19. Si tamen gradus est publicus, copula vero est occulta, debet prius petere a Dataria dispensationem gradus, et postea a sacra Pœnitentiaria dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta: Sanchez *De matrimonio*, disput. 25, n. 11 et 12; Clericatus, c. 71, n. 10; Felix Potestas, tom. I, p. ii, n. 2156, et alii.

(20. Incestuosus an, et quando possit, et debeat, vel non, petere, et reddere, vel offerre debitum? *Vide verb. Debitum conjugale per totum.*

(21. Stuprum stricte sumptum est violenta defloratio puellæ virginis, seu est concubitus cum puella virgine, ipsa invita, seu per vim coacta. Sic in re doctores communiter.

(22. Ponitur autem ly *Violenta*, vel *ipsa invita*, seu *per vim coacta*, ut excludatur copula, in quam consentit virgo, quia talis copula, in quam consentit virgo, pertinet potius ad simplicem fornicationem, quam ad stuprum stricte et proprie sumptum.

(23. Censetur vero virgo violentè, vel ipsa invita, seu per vim coacta deflorari, sic ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte, et proprie sumptum, quando vi, timore, dolo, fraude, aut ficta promissione matrimonii, et hujusmodi decipitur, et inducitur ad copulam. (24. Dicitur notanter *puellæ virginis*, seu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, seu illius, quæ antea habuerat copulam, quia ille violentus concubitus non est stuprum, cum non sit violatio integritatis virginalis.

(25. Stuprum est gravissimum, et speciale peccatum ob gravissimam injuriam, quam stuprator infert puellæ virgini, et ejus parentibus. (26. Unde stuprator tenetur in foro conscientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare, secundum sui possibilitatem, et viri prudentis arbitrio. (27. Si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, puta, quia factum mansit occultum, et æque honestum matrimonium consecuta est, ac si non fuisset stuprata, stuprator ad nullam obligatur restitutionem ante judicis sententiam, quia pro injuria, secluso damno, nulla debetur restitutio, sed pœna a iudice; Sic quoad omnes has tres ultimas conclusiones, doctores passim. Alia quoad hæc, *vid. verb. Dos*, art. 2; a num. 14 ad 38, ubi late de omnibus.

(28. Raptus quid sit? et omnia, quæ ipsum, et raptorem concernunt. *Vide verb.*

Impedimenta matrimonii, artic. 2, a num. 103 ad num. 117.

(29. Sacrilegium carnale et personale est concubitus illicitus personæ, aut sacræ cum sacræ, aut sacræ cum non sacræ, aut non sacræ cum sacræ; Est in re communis. (30. Sacrilegium est peccatum gravissimum, et speciale contra virtutem religionis. *Communis*. (31. Qui simul est sacerdos et religiosus non committit duplex sacrilegium violando castitatem, sed unicum gravius, quia moraliter est una numero malitia contra eandem virtutem religionis. *Communis*.

(32. Si ambæ personæ quæ peccant sunt sacræ, est duplex sacrilegium in confessione exprimendum ob duas injurias et irreverentias numero distinctas. Sic doctores passim.

(33. Peccatum contra naturam quod est vitium inter cæteras luxuriæ species gravissimum, est actus luxuriæ, quo fit seminato modis repugnantibus institutioni naturæ. Est in re communis. (34. Hoc peccatum, ut jam fuit dictum supra *sub num. 2*, subdividitur in mollitiem, inordinatum concubitus, sodomiam et bestialitatem. *Communis*.

(35. Mollities seu pollutio est voluntaria seminis effusio extra vas solius voluptatis gratia facta. Est in re communis. (36. Mollities seu pollutio quæ ab Apostolo *II ad Corinthios* xii, ad *Galatas* v, alio nomine vocatur *immunditia* quando est perfectio voluntaria, est peccatum mortale contra naturam, quia est contra ordinem naturæ et generationis; unde omnino excludit a regno Dei; ut expresse dicit Apostolus *I ad Corinthios* cap. vi, ibi: *Neque molles regnum Dei possidebunt*, et ad *Galatas* v, ibi: *Manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, etc., quæ prædicatio vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*.

(37. Mollities est ab intrinseco mala, adeo ut, etiam seclusa prohibitione divina, adhuc foret mala, et sic nunquam, neque prætextu tuendæ sanitatis vel vitandæ alias certæ mortis, licitum est intendere et directe procurare mollitiem seu pollutionem; unde merito Innocentius XI, die 2 Martii 1679, inter alias sequentem damnavit propositionem 49 in ordine: *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali*.

(38. Desiderare efficaciter ut eveniat naturaliter pollutio vel de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem est omnino illicitum. *Communis*. (39. Non est tamen illicitum desiderare ineffaciter ut pollutio mere naturalis et omnino involuntaria in somno eveniat vel de ea naturaliter et involuntarie secuta gaudere, ob aliquem finem bonum, verb. gratia tentationis sedandæ vel sanitatis recuperandæ. Tunc enim pollutio mere naturaliter eveniens non est nisi spontanea et naturalis evacuatio seu exoneratio naturæ seu corporis, qualis est emissio sudoris vel aliorum superfluum excrementorum. Sanchez, in *Decalog.*, lib. 1, cap. 2, a num. 18; Tannerus, *De peccatis*, dist. 4.